SIGISMUNDUS AUGUSTUS

Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ etc. Dominus et hæres. Significamus hisce literis nostris quorum interest universis et singulis.
Ea esse studia in nos et Rempublicam Regni nostri Generosi Stanislai Barzy de Blozow Capitanei nostri Szmatinen, ut inde iam ab ineunte adolescentia sua Aulæ nostræ addictus perpetua et
ea honorificentissima obsequia nobis præstiterit, nullum etiam ex iis intermiserit, quæ ad tuendam patriam et amplificandam gloriam gentis suæ pertinere visa sunt, ut non solum ætatem sed etiam
rem omnem suam familiarem et opes satis amplas eo contulerit ac impenderit: æquum iccirco ac penè debitum esse iudicavimus pro his et tantis eius meritis insigne ac splendidum munus in Aula no-
stra ad illum deferre. Cumque ad præsens vacet officium Marschalcatus Curiæ nostræ morte Magnifici olim Stanislai Wolsky Castellani Sandomirien, Warschovien ac Czrepicen nostri Capitanei,
ultimi ac immediati dicti Marschalcatus possessoris, cum ipsum Marschalcatum, ut maturo iudicio, ita optimo consilio ad prædictum Stanislaum Barzy tanquam Aulæ ipsius alumnum et exi-
mium eius ornamentum defferendum duximus prout defferimus, damusque et concedimus præsentibus literis nostris ad vitæ ipsius extrema tempora vel ad maioris dignitatis erectionem. Quod
ad omnium et singulorum quorum interest subditorum nostrorum, præcipuè vero Dignitariorum, officialium, Aulicorum et quorumvis aliorum servitorum nostrorum modernorum et pro tempore existentium
notitiam deductum iri volumus, Mandantes, ut præfatum Generosum Stanislaum Barzy pro vero ac legitimo Curiæ nostræ Marschalco habeant et agnoscant, eidemque debitum ubique honorem defferant
de locoque ac omnibus prærogativis et proventibus ad Marschalcatum Curiæ nostræ ab antiquo pertinentibus respondeant et ab aliis quorum interest id fieri curent, Pro gratia nostra. In cuius rei
fidem ac firmius testimonium præsentes manu nostra subscripsimus et sigilli nostri maioris appensione communiri mandavimus. Datum in Wyln feria sexta post festum Conceptionis Beatæ
[illegible] proxima. Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Octavo. Regni vero nostri Anno Trigesimo nono.



SIGISMUNDUS AUGUSTUS

DEI gratia REX Poloniæ, Magnus DUX Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ etc. Dominus & hæres. Significamus hisce literis nostris quorum interest universis & singulis.
Ea esse studia in nos & Rempublicam Regni nostri Generosi Stanislaj Barzij de Blozow Capitanei nostri Szmatinen., ut inde iam ab ineunte adolescentia sua Aulæ nostræ addictus perpetua &
ea honorificentissima obsequia nobis præstiterit, nullum etiam ex ijs intermiserit, quæ ad tuendam patriam & amplificandam gloriam gentis suæ pertinere visa sunt, ut non solum ætatem sed etiam
rem omnem suam familiarem et opes satis amplas eo contulerit ac impenderit: æquum iccirco ac penè debitum esse iudicavimus pro his & tantis eius meritis insigne ac splendidum munus in Aula no-
stra ad illum deferre. Cumque ad præsens vacet officium Marschalcatus Curiæ nostræ morte Magnifici olim Stanislaj Wolskj, Castellani Sandomirien., Warschovien. ac Czrepiceen. nostri Capitanej,
ultimi ac immediati dicti Marschalcatus possessoris, eum ipsum Marschalcatum ut maturo iudicio, ita optimo consilio ad prædictum Stanislaum Barzij tanquam Aulæ ipsius alumnum & exi-
mium eius ornamentum defferendum duximus prout defferimus, damusque & concedimus præsentibus literis nostris ad vitæ ipsius extrema tempora vel ad maioris dignitatis evectionem. Quod
ad omnium & singulorum quorum interest subditorum nostrorum, precipuè vero Dignitariorum, officialium, Aulicorum & quorumvis aliorum servitorum nostrorum modernorum & pro tempore existentium
notitiam deductum iri volumus, Mandantes, ut præfatum Generosum Stanislaum Barzij pro vero ac legitimo Curiæ nostræ Marschalco habeant & agnoscant, eidemque debitum ubique honorem defferant,
de locoque ac omnibus prærogativis & proventibus ad Marschalcatum Curiæ nostræ ab antiquo pertinentibus respondeant & ab alijs quorum interest id fieri curent, Pro gratia nostra. In cuius rei
fidem ac firmius testimonium præsentes manu nostra subscripsimus & sigilli nostri maioris appensione communiri mandavimus. Datum in Wojn feria sexta post festum Conceptionis Beatæ
Mariæ Virginis proxima Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Octavo. Regni vero nostri Anno Trigesimo nono.

Sigismundus Augustus
Rex scripsit



1568

N: 2

Lra super Marsalcatu Curiae Mgco Dno
Stanislao Barzy a Sigismundo Augu
sto Rege Poloniae

1568 No 65

